Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1421
Quelle:
Copyright:

liano I. fuiſſe puto. Hujus, uti et *Ferdinandi* I. Medicum ita egit, ut in Conſilium adlectus et a. 1530. a *Carolo* V. Baro renunciatus, aque *Ferdinando* Dynaſtia *Sprinzenſteinenſi* in *Auſtria* ſup. donatus fuerit. Adjacent mihi *Epicedia in Urſ. Velii mortem* impreſſa 1539. *Viennae* 4. quibus editor *Ad. Carolus* Caeſ. Secretarius ſua manu adſcripſit: *Magnifico et Generoſo Viro Domino Paulo Ritio Baroni a Sprinzenſtain, Regio Conſiliario et Protophyſico digniſſimo.* Itaque illuſtris hodie Comitum *Sprinzenſteiniorum* Familia docto huic Viro originem debet non per *Hieronymum*, qui Praepoſitus *Tridentinus* fuit, ſed per *Franciſcum* filium. Ut pluribus in meo ad *Hiſt. Typogr. Vindob. Supplemento* vernaculo.

CCCLXXI.

361 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 30. f. inſcriptus eſt: *Qualia a quibus Senatorum Ordinibus ſint judicanda.* Primo intuitu aegre quis conjectet, haberi hic *Summaria* priorum X. Capitum *Tractatus de Synedriis* (מסכת סנהדרין) ex Ordine *Miſchnico de Damnis* (סדר נזיקין) latine a neſcio quo reddita, quorum initium: *Eorum quæ in judicium veniunt quædam a tribus deffiniuntur iudicibus, ut ea quæ bona concernunt mamonis* (ממונות דיני) *a nobis dicta externa* &c. Adjecta ſunt in fine: *De Talmudiſtica Gloſa notatione digna*, ſive Sententiae et Fabulae quaedam e *Gemara* depromtae, quae fine truncatae videntur.

CCCLXXII.

Codex chartaceus lat. Sec. 544
XV. Folior. 63. 4. ſat nitide exaratus hunc Titulum praefert: *Incipit libellus contra precipuos errores grecorum editus a fratre Bartholomeo conſtantinopolitano ordinis fratrum predicatorum ad inſtanciam fratrum inter grecos commorancium.* Prooemii initium: *Licet grecorum eccleſiam virtutum floribus et phyloſophie ſtudijs olim decoratam nouerimus, ita quod ipſa ſanctorum preſidencium* (praecedentium?) *patrum apoſtolorum videlicet et prophetarum veloci curſu calcans veſtigia, quam plures ex ſe viuos et ignitos lapides ad edificium ſuperne iberuſalem dudum transmiſerit conſtruendum. nunc tamen hoc eſt in fine temporum quod ſine graui merore proferre non poſſumus, diuerſis et quaſi innumeris errorum obfuſcata turbinibus in eadem ſuarum opinionum caligine diuiſa a ſacroſancta romana eccleſia et ceca perſeuerat, et quamuis infinita hereſum grauamina* (Germina?) *a 370 annis hoc eſt a tempore foſij ſeu fotini primi huius ſciſmatis inventoris in diuerſis ſuis partibus tam propter defectum ſcientie quam propter odij et invidie amaritiem pullulauerunt, precipue tamen in 4or articulis generaliter ſeu communiter dinoſcitur deuiare a nobis* &c. Articuli hi ſunt de Proceſſione Spiritus